

**De cellularis induratione : dissertatio inauguralis medica ... / auctor  
Fridericus Baermann.**

**Contributors**

Baermann, Friedrich, b. 1792.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Litteris Augusti Petschii, 1825.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ev7dpfwx>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

3

DE  
TELAE CELLULARIS  
INDURATIONE.

---

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN  
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI  
UT SUMMI  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE SIBI CONCEDANTUR.

DIE XXI. M. MARTII A. MDCCCXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET  
AUCTOR  
**FRIDERICUS BAERMANN,**  
BUNDA - GUESTPHALUS.

---

OPPONENTIBUS:

*C. H. EBERMAIER, MED. DR.  
A. ANDRESSE, D. D.  
S. F. GOEBEL, MED. CAND.*

---

---

BEROLINI,  
LITTERIS AUGUSTI PETSCHIL.



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22481047>

VIRO  
GENERICISSIMO ILLUSTRISSIMO  
EXPERIENTISSIMO

PH. A WALTHER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBL.,  
ORD. IN UNIVERSITATE LITTERARUM BONNENSI, BORUSSORUM  
ET BAVARORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, CLINICES  
CHIRURGICAE ET OPHTHALMIATRICAE DIRECTORI, ORDINIS  
CORONAE BAVARICAE DE MERITIS CIVILIBUS EQUITI, COM-  
PLURUMQUE SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI  
ETC. ETC.

NEC NON

VIRO

CELEBERRIMO AMPLISSIMO  
EXPERIENTISSIMO

GUILELMO WAGNER,

UTRIUSQUE MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, PRO-  
FESSORI PUBL. EXTRAORD. IN UNIVERSITATE LITTERARUM  
BEROLINENSI, PLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM  
SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORIBUS ET FAUTORIBUS SUIS

SUMMA VERECUNDIA COLENDIS

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATIQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

---

Induratio telae cellularis, textus cellularis durities, cutis tensa — Gallis Endurcissement du tissu cellulaire, oedematie concrète — Anglis Skinbound dicta, morbum significat, aetati infantili fere proprium eumque rariorem, qui modo singulas partes, modo totam corporis superficiem adoritur, cujus palmaria symptomata in duritie propemodum lignea, nec non eximia temperiei diminutione cernuntur. Francogalli horum symptomatum gratia infantulos, hoc morbo correptos, des Enfans durs, vel des Enfans gelés, apte dicunt. Generatim morbus iste in Gallia et Britannia frequentius occurrit ideoque a medicis illarum terrarum primo fusius describebatur. In Germania Vir Perillustris ac de medicina Meritissimus Hufeland <sup>1)</sup> primus exstitit, qui medicorum mentes ad hoc vitii genus converteret. Antiquiores quidem Germanorum medici de similibus morbis exposuerunt, inter alios Joh. And. Usenbez <sup>2)</sup> anno 1718 in nosodochio Ulmensi hujusmodi exemplum observavit ac descriptis, verumtamen jam Koch <sup>3)</sup> dubitavit, et Lo-

---

<sup>1)</sup> Neueste Annalen der französischen Arzneikunde und Wundarzneikunst. Leipzig, 1791. I. Bd. S. 342.

<sup>2)</sup> Ephemerid. Nat. Curios. und im Auszuge mitgetheilt in Schurigii Embryologia, Dresden und Leipzig, 1732, Sect. III. pag. 211.

<sup>3)</sup> Auszug aus den Sammlungen auserlesener Abhandlungen für praktische Aerzte. Leipzig, 1796, fünfter Theil, S. 748.

demann <sup>1)</sup> ad evidentiam usque commonstravit, exemplum illud huc referendum non esse. Nullam recipit dubitationem, quin medici veteriores per indurationem telae cellularis diversissimos intelleixerint morbos, modoque erysipelas neonatorum, modo tetanum cum ea confuderint. Ne acuta quidem et chronica hujus morbi species prius distinguebatur, licet utraque non solum decursu et majori minorive vitae periculo, verum etiam symptomatibus peculiaribus differat, indolemque maxime diversam exhibere videatur. Quum observationes, a medicis anglicis et gallicis traditas, comparare inciperent, discriminem illud innotuit, miratique dignum est, Carum <sup>2)</sup> in descriptione exempli hujus generis et in theoria nova de morbi istius indole differentiam illam plane praetermissee; ab altera autem parte Goelis <sup>3)</sup> et Henke <sup>4)</sup>, quorum ultimus utramque speciem et ejus variétates accuratius comparavit, discriminis supra dicti mentionem fecerunt. Morbi historia, ad conscribendam dissertationem inauguralem a me delecta, etiam atque etiam commonstrabit, indurationem telae cellularis chronicam sane, licet rarius, observari ejusque differentiam ab acuta tantam esse, ut protinus ob oculos cadat. Henke merito forsitan contendit, indurationis telae cellulosae nomen speciei chronicæ modo com-

<sup>1)</sup> Hufeland's und Himly's Journ. der prakt. Heilkunde. 1810. Stück Oktober. S. 75.

<sup>2)</sup> Neues Journ. der prakt. Heilk. von Hufeland und Harless, XXXV. Band, II. Stück. S. 110.

<sup>3)</sup> Salzburger med. chirurg. Zeitung 1812, I. Bd., No. 9. S. 159.

<sup>4)</sup> Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten, Frankfurt a. M., 1821. I. Band. S. 199.

petere, verumtamen, experientiae exiguae memor,  
hanc controversiam dirimere non ausim.

Telae cellulosa indurationem non recentioribus  
morbis adjudicandam, sed jam veteribus observatam,  
et nomine Stegnosis esse descriptam, Reddelien<sup>1)</sup> de-  
monstravit, quippe qui omnia hac de re a medicis  
gallicis et britannicis tradita, optime collegit, quibus,  
jam Galenum hujus morbi mentionem fecisse, patet.  
Notatu dignum vero est, veteres modo de adultis,  
minime infantibus, huic morbo obnoxiis, disserere.

Nunc ad describenda hujus morbi symptomata,  
quae in specie acuta medicis Gallis, Bordeu, Auvity,  
Andry,<sup>2)</sup> Souville, Naudeau, Doublet, Chambon,<sup>3)</sup>  
et Germanis quibusdam observata sunt, gradum facio.

Primi vitæ diebus, raro serius, diversæ corpo-  
ris partes, præ ceteris genae, genitalia, artus superio-  
res et inferiores, mira duritie obsidentur, quacum ru-  
bor, magis minusve intensus, fere purpureus, modo  
totius corporis, modo inferiorum artuum, modo ab-  
dominis consociatur; rubente abdomine etiam ventris  
integumenta indurescunt; rubor raro in violaceum  
aut lividum abit; sub his artus eximie tument, ut  
saepe curvati appareant, pedumque plantae non con-  
cavæ sed convexæ cernantur. Partium recensitarum  
cutis quam maxime tensa, rigida et ligni instar dura,  
digitorum pressioni nihil cedit, neque huc illuc di-  
moveri potest. Temperies totius superficie, maxime

<sup>1)</sup> Siehe dessen Sammlung kleiner Abhandlungen und Beobachtungen über die Rose der Neugeborenen und die Verhärtung des Zellgewebes. Lübeck und Leipzig, 1802. S. 81. 82.

<sup>2)</sup> Ibidem.

<sup>3)</sup> Chambon maladies des Enfans. Paris, an VII. pag. 292.

vero partium affectarum, adeo diminuitur, ut frigus glaciale sentiatur, quod modo calore foris admoto evanescit, eoque deficiente, redit. Modo febris adest, modo deest, infantes tactis partibus affectis interdum dolorem sentiunt. Deglutitio et mandibulae motus, nec non artuum, magis minusve praepeditur, imo interdum tetanus et trismus adesse videtur; infantuli vultum attonitum portendunt eorumque clamor ejulatum aemulatur.

Lethalitas hujus morbi tanta ejusque cursus tam acutus est, ut plerisque in exemplis intra quatuor septemve dies mors irruat.

Partes durae tumidaeque, post mortem incisae, humorem flavidum, lymphatico-serosum, calore albuminis instar coagulabilem, vel teste Moscati <sup>1)</sup> serum cruentum effundunt; tela cellularis solida, dura, adeps granulosus reperitur. Vasa per cerebri superficiem discurrentia sanguine scatent, saepeque extravasata ibi inveniuntur. Eadem saepius in pulmonum vasis deprehenduntur, pulmones ipsi haud raro atri, gangrenosi, in cavo thoracis quandoque sanguinis effusiones exstant; neque minus ventriculus maculas gangrenosas offerre solet; hepar solito majus et opacius, vesicula fellea bile atrofusca referta, vasa lymphatica glandulaeque cutis, perinde ac meseraicae, tumefactae sunt.

Praeterea multa referre possem symptomata, septemdecim in exemplis a Viro Illustrissimo et Eruditissimo Dr. Horn <sup>2)</sup> observata; quum vero hicce mor-

---

<sup>1)</sup> Kühn's und Weigel's italienische med. chirurg. Bibl. II. Bd. II. Stück.

<sup>2)</sup> Archiv für medicinische Erfahrung, 1810. II. Band, I. Heft. S. 109.

bus et erysipe~~las~~ neonatorum pro varietatibus ejusdem speciei ab eo habeantur, obiter modo hanc rem delibare licuit.

Non improbabile est, omnes medicos procedente tempore sibi persuasuros esse, speciem acutam inductionis telae cellulosa cum erysipelate neonatorum conspirare, et utrumque morbum non nisi causarum occasionalium diversitate paululum mutari. Hufeland <sup>1)</sup> jam diu hanc opinionem professus est, et Lodemann, Goelis et Henke nihil dubitationis ea de re movent, omnesque cadaverum incisiones, hactenus institutae, testantur, morbum utrumque easdem mutationes cutis et viscerum, paucis exceptis, proferre.

Symptomatologia speciei chronicae, qualis a medicis britannicis, Underwood, <sup>2)</sup> Denmann et Hulme traditur, multum similitudinis cum superioribus exhibet, verumtamen phaenomena quaedam essentialia offert.

Haec quoque species infantulos paulo post partum adoriri solet, imo nonnunquam cum iis nasci dicitur. Tota corporis superficies, in primis facies et artus, ingente duritie laborant, cutis tensa haud potest dimoveri, pressioni repugnat, coloreisque albo flavidum offert. Totum corpus friget, infantuli modo vagiunt, ac totum per morbum moribundorum faciem repraesentant. Febris et dolor absunt, tetanus et trismus raro accedunt.

Cursus hujus morbi minus acutus, periculum tanto majus, quanto minor infans est natu. In Anglia teste Denmann exitialitas morbi maxima exstitit,

<sup>1)</sup> Reddelien Sammlung etc. Vorrede S. IV.

<sup>2)</sup> Ibidem S. 84 etc.

etenim plurium infantorum modo unum hic medicus morti eripuit; prosperiore eventum Goelis <sup>1)</sup> assecutus est, etenim quadraginta puerorum triginta duos incolumes praestitit.

Incisiones partium induratarum, post mortem factae, telam cellularem compactam, sine humoris effusione, exhibent. Hulme tribus in exemplis pneumoniam observavit, quae, ut Reddelien et Lodemann existimant, morbo primitivo serius accessisse videtur, quum ob sanguinis circuitum, in peripheria turbatum, omnis fere sanguis ad interiora propellatur.

Causis occasionalibus indurationis telae cellulosae a variis auctoribus diversae injuriae adnumerantur, quarum palmariae sunt refrigeratio et aëris corruptela; haec corruptela eam ob causam in primis accusanda videtur, quia in nosodochiis et orphanotropheis morbus hicce frequentissimus saepeque epidemicus observatur. Porro huc referri solent: abusus spirituorum, a matre commissus, vernix caseosa, in cute residua et corrupta, contagium syphiliticum, hereditate acceptum etc.; multis tamen in exemplis causæ occasioales haud innotescunt.

Quum causas occasioales disquarentibus saepe difficultates se obstrudant, multo majoribus tenebris ipsa morbi indoles, seu proxima causa, obvelatur, quod theoriae diversae luculenter testantur. Underwood telae cellularis indurationem affectione spasmodica primarum viarum effici, Hulme pro symptomate pneumoniae habendam existimat; Lefebure de Ville-

<sup>1)</sup> Med. chirurg. Zeitung 1815. No. 85. S. 128.

brune <sup>1)</sup>) vernicem caseosam, in cute nuper natorum relictam, culpat, qua cutis transpiratio supprimatur, eaque suppressa acidum quoddam in tela cellulari lignatur, quo adeps ejus durescat. Argumenti instar profert, candelarum fabricatores adipem mollem admixto acido sulphurico et alumine duriorem reddere. Chambon immediatam adipis indurationem, frigore effectam, defendit; Hufeland <sup>2)</sup> naturam scrophulosam huic malo subesse putat; Goelis speciem acutam vehementi cutis inflammationi, chronicam syphilidi originem debere tradit. Stütz <sup>3)</sup> spasmus ait tonicum telae cellulosae subesse, quo simul cellulae singulæ humore elastico repleantur. Jahn <sup>4)</sup> nihil nisi erysipelas cum opportunitate in scirrum abeundi admittit; Lodemann quoad speciem acutam cum Hornio consentit, chronicam vero speciem phlegmatiae albae dolenti aequiparat, exemplumque ab Henkio <sup>5)</sup> descriptum memorat, in quo aegrota dolorem conquesta sit; indolem morbi in processu lymphatio-inflammatorio collocat. Carus prostrationem actionum vitalium in genere, cutisque functionis in specie, culpat morbumque hunc cum enecatione partium singularium et gangraena senili comparat. Henke denique indurationem telae cellularis, erysipelas et icterum recens natorum forsitan varietates injuriarum diversitate effec-

<sup>1)</sup> Reddelien I. I. S. 90—94.

<sup>2)</sup> Siehe dessen gekrönte Preisschrift über die Natur, Erkenntniß und Heilart der Scrophelkrankheit. Dritte Auflage. S. 18.

<sup>3)</sup> Hufeland's Journ, der prakt. Arzneikunde. VII. Ed. IV. Stück. S. 42 etc.

<sup>4)</sup> Neues System der Kinderkrankheiten. Rudolstadt, 1807.

<sup>5)</sup> I. I.

tas, ejusdem affectionis primitivae exhibere, quae perversae hepatis functioni indolique sanguinis phlogisticæ innitatur, quaue natura abundantiam principiorum phlogisticorum, nempe aquae et carbonis, in cute deponere moliatur.

His evidenter elucescit, et causas et indolem hujus morbi maximis tenebris premi, ideoque certam medendi rationem non posse stabiliri. Obstaculum diagnosis et medelae praecipuum partim in eo est, quod, paucis exceptis, modo tenerrima aetas huic morbo obnoxia est, quo fit, ut medendi ratio caute restringi debeat, partim in eo, quod morbus rarus est acutaque ejus species vulgo tam rapida decurrit, ut mors irruat, priusquam medicamina administrata mutationes idoneas proferre valeant.

Medici gallici fumigationes, corporis lavacra e decoctis herbarum emollientium, balnea cum herba salviae parata et vesicatoria commendant, qua ratione de undeviginti infantulis novem sanatos esse, Andry contendit. Denmann infantem, hausta mixtura absorbente cum spiritu volatili aromatico, sanescere vidit; Moscati remedia evacuantia dein aetherem vitrioli aut spiritum sulphuris aethereum adhibuit; Horn intus mercurium dulcem, emetica, cathartica, diaphoretica, et si affectio subasset spastica, flores zinci et extractum hyoscyami, extrinsecus inunctiones unguenti mercurialis, lavacra et fomenta ex aqua saturnina et aromatica, balnea tepida, saponacea, herbacea et kalina expertus est, sed de septemdecim infantibus non nisi duos salvos praestitit. Goelis speciem chronicam optime mercurialibus curari contendit, quibus, ut supra diximus, effecit, ut de quadraginta infantibus modo octo perirent.

Expositis iis, quae memoratu digna mihi visa sunt, ad singularem morbi historiam describendam me accingo.

---

## MORBI HISTORIA.

---

**A**ugustus Fridericus Gerhard, Berlinensis, annum sextum et tertium mensem agens, normali corporis habitu instructus, testibus parentibus ante initium morbi praesentis valetudine prospera viguit. Variolae prophylacticae, tertio vitae anno ei insitae, rite effluerunt cursumque absolverunt; reliqui morbi, quibus aetas infantilis solet infestari, ei pepercerunt.

Priori dimidio mensis Augusti anni millesimi octingentesimi, vicesimi tertii parentes cum pueru naviculam concenderunt et Treptowiam, quae miliaire dimidium a Berolino abest, se devehendos curaverunt. Puerulus totum per diem circa fluvii ripas cum aliis sodalibus lusit, donec parentes inter horam vespertinam decimam et undecimam, eadem navicula vecti, domum redirent. Licet interdiu aestus sat magnus exstitisset, vespertino tamen tempore aqua temperiem adeo diminuit, ut ipsa infantili mater horrore quodam agitaretur. Proxima jam nocte somnus pueruli irrequietus fuit, alteroque mane luculenta perfrigerii vestigia apparuerunt, uti cephalalgia, faciei ardor, ciborum fastidium insignisque dolor et rigiditas muscularum cervicis. Haec valludo ad quartum usque diem persttit, quippe quo, praeter colli rigorem, symptomata supra dicta sine

medici auxilio evanuerunt, puerique alacritas in integrum restituta est.

Quatuordecim circiter dies post haec eventa, proava manus faciemque nepotis non mediocriter solidescere observavit, eaque de re laetitiam professa est. Eodem fere tempore parentes eximum frigus, per totum pueri corpus diffusum, animadverterunt, quoties, lectulo mane relicto, parentum cubile adire solebat. Ipsi parentes soliditatem illam tendoremque cutis eximio filioli vigori adscripserunt, eoque magis, quum praeter colli rigiditatem nulla labes deprehenderetur. Non multo post autem parentes gressum pueri difficiliorem genuumque mobilitatem ex parte amissam observarunt; praeterea os non rite aperiri poterat cibique duriores tardissime manducabantur. Nunc demum de infantis valetudine solliciti, chirurgum consuluerunt, qui, quamvis se nescisse confiteratur, qualis fuerit morbus, tamen e refrigerio ortum putavit, eaque remedia in auxilium vocanda censuit, quae transpirationem cutis suppressam redintegrare valerent. Huic scopo satisfactus, infusum florum sambuci cum liquore ammonii acetici balneumque tepidum, plures per dies repetendum, imperavit. Quum vero unumquodque balneum morbo incrementa adjiceret, balnea vaporosa iis substituebantur, quae, quoniam effectum haud laetiorem praestiterunt, tandem suspensa sunt.

Quae quum ita essent, valetudo adversa in dies increvit, parentesque egestatis causa ferendis medicamentorum sumptibus non amplius pares fuerunt, quibus rebus coacti, Virum Peritissimum atque Humanissimum Professorem Dr. Wagner, cui pauperum cura illius regionis urbanae demandata erat, adierunt,

quo factum est, ut mihi, tum temporis Prof. Wagner amanuensi, mirum hocce morbi exemplum innotesceret.

Quum die duodecimo mensis Octobris anni ejusdem aegrotulum inviserem, haec sese obtulerunt: puerulus corpus exhibuit rite conformatum, cuius evolutione, animique dotes aetati bene responderunt. Valitudo universa parum labefacta, ciborum appetitus fere naturalis fuit, difficilique negotio parentes filiolum in lecto detinuerunt. Morbi interni minime detegebantur, totum vero corpus, exceptis genitalibus, aliquanto tumefactum apparebat, praeceteris facies, ita ut oculi multo minores viderentur. Color cutis ex squalido albus, paulo flavescens, cutis ipsa totius corporis, excepta genitalium cute, partibus subjectis ita superintenta fuit, ut neque huc neque illuc dimoveri posset. Manus admota protinus eximiam temperiei diminutionem per totam corporis superficiem animadvertisit, quae diminutio in partibus vestitu non obvelatis, uti in facie manibusque, luculentissima apparuit, quippe quae partes fere congelatis similes fuerunt. Haud minus notatu digna durities partium cuti proxime subditarum exstitit, quarum nonnulla loca, verbi gratia in facie, cervice, natibus et pagina externa artuum superiorum inferiorumque, nullam fere digitorum impressionem receperunt. Minus durae volae manuum, plantae, facies interna artuum et ventris integumenta fuerunt, minimam duritiem partes genitales obtulerunt; foveae tamen admota pressione nusquam remanserunt. Singularis plantarum convexitas haud observabatur.

Quod articulorum mobilitatem attinet, mandibulae et genuum motus maxime praegravatus erat, qua-

propter os parum diduci, alimenta duriora tardissime ac difficillime manducari, genuaque inter ambulandum fere nihil flecti potuerunt.

Circa palpebras notatu dignum erat, quod singulae glandulae Meibomianae extrorsum prominebant, qua de causa non solum numerus, verum etiam situs et figura earum oblonga commode explorabatur. Num haec intumescentia glandulis ipsis, an telae cellulosa, eas ambienti, insideret, cum evidenter dirimi nequivit.

His omnibus observatis, nullam dubitationem recipere videbatur, indurationem chronicam telae cellulosa, si unquam hocce nomine posset designari, illo in exemplo esse agnoscendam. Omnia symptoma multa cum evidenter testabantur, substantiam quandam concretam, quasi rigidam, non modo in tela cellulari, quae stratum internum tegumentorum communium exhibet, sed etiam in ea coortam esse, quae musculos voluntatis imperio subditos comitatur atque investit.

Quum nemini hactenus contigerit, ut causam proximam hujus morbi notatu dignissimi atque mirifici luculenter evincere posset, nostro etiam in exemplo tenebrae illae dissipari nequeunt; licet inficias eundum non sit, causam occasionalem in illo perfrigerio ponendam esse, quod puerulus vespertino tempore in navicula passus est. Sententia Goelisii, qui indurations telae cellulosa chronicas syphiliticae originis esse perhibet, huc minime referenda est, quum examen diligentissime institutum docuerit, neque parentes pueruli nostri venereo morbo unquam laborasse, neque infantulum ad hoc usque tempus vestigia morbi obtulisse, qui naturam syphiliticam expromeret.

Multo majori cum probabilitate indoles hujus morbi scrophulosa potest vindicari, quum sequentia diathesin pueri scrophulosam aliquatenus probare videantur. Pater habitum scrophulosum manifestissimum portendit, ipseque confitetur, se a prima inde pueritia, nec non pubertatis periodo absoluta, capitis impetiginibus et glandularum colli tumoribus laborasse, quibus post aliquot annos profligatis, auditus difficilis, nondum curatus, successerit. Idem plures per annos exanthemate faciei pustuloso divexatur, ei non dissimili, quod potatores offendere solet, quamvis iste vir potibus spirituosis minime deditus est. Parentes jam ante annos aliquot infantulum atrophia extinctum luxerunt, aliisque puerulus, duos et dimidium annum natus, longius per tempus scrophulosi exquisita conflictatur, quippe cuius venter glandulis meseraicis tumefactis inflatus durusque observatur, oculi semper inflammatione haud mediocri tenentur; praeterea photophobia ingens, hordeola iterum iterumque reduntia, et capitis impetigines omnem profligant dubitationem, quae de morbi natura possit moveri. Quodsi his adjicias, scrophulosin ad eos pertinere morbos, qui facillime a parentibus ad liberos transferuntur, opinio supra proposita de diathesi scrophulosa fere ad liquidum perducitur. Hisce omnibus quidem necessitas, indolem scrophulosam indurationis telae cellulosa chronicae nostro in exemplo agnoscendi, non patet, quamdiu vero morbi alicujus pathogenia summis premitur tenebris, medicus ea arripiat necesse est, quae a probabilitate proxime absunt, ut medendi ratio quodammodo possit stabiliri. Uterque morbus, et scrophulosis et induratio telae cellulosa, hoc saltem commune habent, quod humorum oppor-

tunitatem ad inspissationem proferunt, et si verum est, quod nemo fere dubitat, morbi scrophulosi indolem in actione systematis lymphatici singulatim alienata ponendam esse, vix diffitendum est, indurationi telae cellularis chronicae disproportionem secretionis et absorptionis maximam subesse.

Jam ad morbi historiam atque medelam revertor. Licet remedia ad restituendam cutis transpirationem administrata, uti supra memoravimus, effectum potius inimicum, quam prosperum exerent, Professor Dr. Wagner a medendi ratione non alienum fore putavit, si illa medicamenta denuo in usum vocarentur. Hocce consilium eo magis persequendum existimavit, quum causa occasionalis manifesta id effecisset, ut transpiratio cutis offenderetur; ceteroquin suspicari licuit, primam horum remediorum administrationem, praecipue balneorum, minus circumspectam fuisse, siquidem homines rerum domesticarum angustius pressi, haud raro negligentiae nimiae indulgent, eoque medici conamina irrita redundunt. Ad usum internum infusum florum sambuci cum vino stibiato imperabatur, vespereque ejusdem diei in cubiculo bene calido balneum tepidum adhibebatur, quibus peractis puerulus, involucro laneo munitus, lectulo tradebatur. Proximo mane haec symptomata apparuerunt: durities ac intumescentia totius superficie adeo increverant, ut partes antea molliores ligni duritiem exhiberent. Facies rubicunda adeoque tumefacta fuit, ut palpebrae difficillimo negotio aliquantulum aperirentur. Insimul facies et pectus sudore gelido tecta comparuerunt, reliquum corpus aridum, nullam coloris prisci mutationem obtulit. Jam in balneo infans summam

expromsit inquietem, per noctem sollicitus huc illuc corpus jactavit, et, tanquam deliriis vexatus, sermocinatus est. His omnibus praeter vanum humorum impetum versus cutem, maxima sanguinis congestio ad caput indicabatur, quae, saepius iterata, periculum minitabatur, quapropter balneorum usum suspendi necesse visum est. Post aliquot dies quidem balnea vaporosa experiri placuit, sed quum iisdem morbus haud minus exasperaretur, abrogata sunt.

Huc accedit, quod morbi exacerbatio, unumquodque balneum secuta, maximam partem desiit, si aegrotulo venia concedebatur, horas aliquot extra lectulum degendi; his enim factum est, ut durities partium minus correptarum ad gradum pristinum rediret, nec non faciei et reliquarum partium intumescentia decresceret. Generatim temperies modica multo melius, quam calidior, morbo respondere videbatur, etenim durities, quovis mane stragulorum calore adaucta, decrementum exhibuit, si puerulus cubile reliquit.

Ne medendi ratio, ab initio stabilita, protinus abjiceretur, usus diaphoreticorum internus aliquamdiu continuabatur et balneorum loco, corporis frictions panniculis laneis, mastiche et baccis juniperi suffumigatis, instituebantur. Hac medendi methodo nulla quidem morbi exacerbatio animadvertebatur, sed nihil decrementi obtinebatur, si ab eo discedas, quod os paulo melius aperiri coepisset.

Tum emetica ita in usum vocabantur, ut alternis diebus vomitorium porrigeretur, partim ad actionem systematis lymphatici concussione corporis salutari adaugendam, partim ad humorum impetum versus cutem irritatione primarum viarum antagonistica

coērcendum. Quinque autem emeticis frustra datis, dies aliquot corporis otio concedebantur, iisque elapsis, mercurius dulcis administrabatur. Inter initia quovis mane et vespere granum ejus dimidium cum sulphure aurato antimonii exhibebatur, et pro potu vulgari decoctum ligni guajaci, radicis sassaparillae et radicis liquiritiae imperabatur, frictiones autem minime omittebantur. Quum, decem diebus interpositis, neque mercurii efficacia circa morbum, neque symptomata sese manifestarent, quae continuatum hydrargyri usum subsequi consueverunt, bis quotidie granum integrum pro dosi exhibebatur. Sexaginta mercurii grana ab aegrotulo ita hausta sunt, ut ne minima quidem glandularum salivalium affectio appareret, quibus observatio, a multis medicis facta atque defensa, confirmatur, corpus infantile multo minus huic praeparato reniti, quam corpus adultum. Verumtamen morbi decrementum, hujus remedii usu inductum, facile animadvertebatur, nominatim artuum superiorum et pectoris ventrisque integumentorum durities luculenter minuebatur. Os etiam facilis poterat diduci, mobilitasque mandibulae articulorumque partium extremarum in melius restituebatur; temperies corporis aliquantum evehebatur, duritiesque non amplius quovis mane incrementa capiebat, quae prius ceperat. Praetermittendum quoque non est, quod novissimo tempore furunculi exigui antibrachia obsiderent, quibus sanatis maculae rubrae, mollitem cutis naturalem referentes, remanserunt.

Circa hoc tempus evenit, ut praeter alias medicos, qui morbi singularis causa infantulum adirent, Vir Illustris Prof. Dr. Horn eum inviseret, qui, quum Prof. Dr. Wagner lubenter adstipularetur, balnea te-

pida rursus in usum esse vocanda, hunc ad scopum balnea saponacea et furfurea commendavit. Vir Ill. Pochhammer, qui multis re familiari destitutis balneorum usum lubenter offert, huic etiam infantulo id auxilii genus haud recusavit, quo facto aegrotulus statim in balneum deferebatur.

Ut effectus balnei primi rite observaretur, ipse interfui, quum vero puerulus exacerbationis morbi, balneis prioribus ortae, memor esse videretur, plurimi fuit negotii, ei persuadere, ut balneo sine querelis sese submitteret. Hora dimidia elapsa, facies ruberrima et, pariter ac reliquum corpus, paulo tumida apparuit, tantum vero abest, ut duritiae incrementum exstaret, ut partes aliquanto moliores tactu et vultudo universa integra esset. Sudor copiosus, e facie scaturiens, calidus erat, et horae quadrante post balneum interposito reliqua etiam corporis superficies vapore tepido obtegebatur. Omnia haec phaenomena spem suppeditabant, fore, ut continuatus balneorum usus plurimum auxilii esset praestiturus, eventusque his desideriis optime respondit. Usu internorum remediorum seposito, balnea alternis diebus ita continuabantur, ut deinceps quinquaginta quatuor eorum adhiberentur. Omnibus in partibus, si eas excipias, quae partim balneorum efficaciam minus validam recipere potuerunt, partim primitus et vehementius affectae fuerunt, durities et temperiei diminutio fere ex toto evanuit, sub quibus sequentia evenerunt symptomata; post sextum circiter balneum, maculae opaco rubicundae, rotundae, arctis limitibus circumscriptae, pollicis diametrum et quod excurrit habentes in artubus superioribus, aliquanto post in inferioribus, novissime in ventre ac dorso apparuerunt,

quae omnis doloris expertes, nec aliquam cutis elevationem, neque temperiei augmentum portendebant duritiemque, haec loca occupantem, profligabant. Aliae earum adeo sibi erant finitimae, ut termini sese tangerent, aliae plane segregatae exstabant. Nec origo, nec discessio earum typo certo adstringebatur, aliae enim post quinque aut sex dies evanuerunt, aliae post decimum diem perstiterunt, omnibus vero desquamatio subtilior epidermidis successit. Interdum plures per dies nullae aderant maculae, sed subito novae apparere solebant. Iis in locis, quibus istae maculae, tanquam liquefacentes, non provenerunt, duritie decrementum tardius quidem, verumtamen sat evidenter successit, temperiesque et color cutis in dies proprius ad normam reverterunt, ita ut aegrotulus, balneis supra memoratis adhibitis, pro sanato fere posset haberi. Faciem quidem et cervicem aliqua obsedit durities, quum balnea, ut supra dictum est, ad hasce partes minus efficacie exserere possent; eademque ad hodiernum usque diem eatenus tantum diminui potuit, ut puerulo nullas inferat molestias. Praesente tempore infans summa gaudet alacritate, morbusque praegressus neque corporis incremento neque ingenii evolutioni obfuit,

Hanc habeto imaginem fidissimam morbi notatu dignissimi atque rarissimi, a me diligentissime observati, cuius summa est similitudo cum illo exemplo, cuius Henke <sup>1)</sup> mentionem fecit. Utroque in casu occasionales causae, morbi initium et ex parte ejus cursus inter se responderunt, modo aetas aegroti, vi-  
tii ambitus et medelae eventus discrepuerunt.

---

<sup>1)</sup> l. l.

Sub finem hujusce historiae observationes quasdam de cursu et singulis morbi descripti symptomatibus adjicere liceat, quae quidem rationes internas, sive indolem, chronicae indurationis telae cellulosaec nec explicant; nec explicare possunt, verumtamen ob rariorem hujus morbi generationem haud supervacuae videntur.

Quum pathologia causas morborum remotas explorari jubeat, nostro etiam in exemplo notandum est, praeter dispositionem scrophulosam hereditariam, a patre acceptam, et praeter causam occasionalem, e refrigerio profectam, nihil reperiri, quod morbum gignere potuerit. Puerulus scilicet, perfrigerium passus, insequente nocte somno irrequieto agitabatur, proximoque mane affectione rheumatico-catarrhalis divexabatur. Haec quidem symptomata diebus aliquot interpositis evanuerunt, et telae cellularis induratio post duas demum hebdomades animadvertebatur, sed haec non impediunt, quo minus morbi initium inde a prima illa valetudine numeremus, quum, elapsis symptomatibus rheumatico - catarrhalibus, cervicis rigiditas remaneret, et induratio observata haud mediocrem gradum assecuta esset; praeterea cervix ad eas pertinet partes, quae per totum morbi cursum duritie maxima et pertinacissima laborabant.

Licet igitur de causa hujus morbi occasionali vix dubitatio aliqua possit moveri, tamen difficillimum est, imo omnes artis fines superat, processum illum internum investigare, quo morbus perficitur. Innumeri homines, tam infantes quam adulti, aestuante corpore perfrigerio sese submittunt, indeque affectionibus rheumaticis, inflammatoriis aut spasmodicis diversi generis subiguntur, neque ullus induratione te-

iae cellularis chronica corripitur. Hanc ob rem dia-  
thesis quaedam singularis, detectu difficilis, praecedere  
videtur, quae magis a textura integumentorum cor-  
poris communium, quam ab universi organismi in-  
dole pendet. Omnia symptomata huncce morbum  
comitantia vim vitalem cutis labefactam ejusque  
functionem turbatam evidenter portendunt, cur vero  
exigua valetudinis secundae mutatio acciderit, vix di-  
rimi potest.

Si inflammationis notionem, ab omnis aevi pa-  
thologis stabilitam, teneas, nostro in exemplo de in-  
flammatione meditandum non est, quippe cuius pa-  
thognomonica signa plane defuerunt. Quodsi vero  
materias rigidas, in tela cellulari depositas, inflamma-  
tionis, id est exsudationis producta judices, diffiteri  
nequis, inflammationem non modo per totam super-  
ficiem corporis expansam, verum etiam satis gravem  
existere debuisse. Haec opinio neque cum omnium  
symptomatum defectu, neque cum exili valetudinis  
ab alienatione conciliari potest.

Summa attentione phaenomena digna sunt, qui-  
bus medela insignebatur. Mercurio enim adhibito,  
primum furunculi exiles, uti supra memoravimus,  
dein balneis administratis plures maculae rubrae ap-  
paruerunt, in quibus durities liquefcere coepit. Fu-  
runculi, vitam aductam quibusdam cutis partibus  
redditam esse, maculae vero ab inflammatione alie-  
nae, materiarum induratarum liquationem et resorp-  
tionem contigisse, sanguinisque circuitum in integrum  
restitutum esse testabantur. Epidermidis desquama-  
tio super his maculis processum quidem inflammato-  
rium supponere videtur, sin mediteris, hanc desqua-  
mationem, licet vix manifestam, sanis etiam corpo-

ribus perfici, non inficias ibis, eandem turbata cutis actione restringi, paulo adacta autem intendi.

Non ignorari oportet, morbi sanationem non nisi per resorptionem contigisse, quibus elucescere videtur, actionem systematis lymphatici diminutam fuisse, quae, administrato mercurio balneisque continuatis, ad gradum normalem sit revocata. Eodem modo explicare potest, cur inter morbi initia, quum resorptio minuta extaret, omnia medicamina, humorum impetum ad cutem efficientia, praeceteris balnea, nocuerint, serius vero utilitatem praestiterint, quippe quae mercurii efficaciam juvarent. Balneorum efficaciam particulis kalinis, saponi insitis, ex parte adscribendam esse, pro explorato habeo, siquidem kali in sistema lymphaticum vires saluberrimas exerit.

---

## VITAE CURRICULUM.

---

Ego, Fridericus Baermann, natus sum Bündae, Guestphaliae oppido, die vicesimo secundo mensis Novembris A. MDCCLXXXII. Ab anno vitae duodecimo parentibus orbatus, Viro prae nobilissimo J. F. Hoepker, jam defuncto, omnia debeo, quae ad educationem atque institutionem pertinent. Confessioni evangelicae addictus, in schola urbana non modo primis litterarum elementis imbutus, sed postea etiam privata institutione disciplinis sublimioribus eruditus sum.

Quum animum ad rem salutarem attendissem, et potissimum chirurgiae operam dedissem, annis MDCCCXIII. — XV. Borussorum castra secutus sum. Pace cum Francogallis composita, et missione impetrata, in Batavorum classe chirurgi officia praestiti, et expeditioni, A. MDCCCXVI. contra Afros Algirennes susceptae, interfui. Redux in exercitu Borussorum regis, rursus per quadriennium chirurgus militaris stipendia feci, eoque praeterlapso, ut litteris diligentius vacare possem, missionem petii. Ineunte semestri aestivo A. MDCCCXXI. universitatem litterarum Bonnensem adii, examineque anteacto, die duodecimo mensis Julii, Rectore Magnifico Ill.

Mittermaier, Decano Cel. Stein in album universitatis receptus sum. Per hoc semestre, et quod ei antecessit, sequentibus interfui praelectionibus: Cel. Goldfuss de historia naturae universalis, speciali, et de Zoologia. Ill. ab Esenbeck de botanice. Cel. Windischmann de historia philosophiae et psychologia. Generos. a Münchow de physice experimentali. Cel. Weber de osteologia corporis humani et animalium domesticorum. Cel. Mayer de anatomia universa et speciali, nec non de physiologia experimentis juncta. Ill. Nasse de physiologia humana et comparata. Generos. a Walther de chirurgia, morbis oculorum, et de cursu omnium operationum chirurgicarum, cuius etiam clinicum chirurgicum frequentavi.

Auctummo A. MDCCCXXI. Berolinum concessi, et die decimo quarto m. Novembris, Rectore Magnifico Cel. Wilken, Decano maxime spectabili Ill. Link, medicinae studiosus adscriptus sum, quo facto has praelectiones frequentavi: chemiam universam et experimentalem Cel. Mitscherlich, pharmaciā Cel. Turte, botanicen et toxicologiam Ill. Link, mentis morbos Exper. Benecke, anatomiam humānam, comparatam et pathologicam Ill. Rudolphi, artem cadavera secandi Ill. Rudolphi et Knape me docuerunt. De materia medica et fontibus medicatis Cel. Osann, de ossium morbis dynamicis Ill. Graefe, de gravissimis akiurgiae capitibus Ill. Rust mihi fuerunt praceptorēs. Pathologiam universam, semiotiken, therapiam generalem et specialem Cel. Fr. Hufeland, therapiam specialem Perill. C. W. Hufeland, pathologiam specialem et therapiam mentisque morborum curam Ill. Horn me docuerunt. De chirurgia generali et speciali, oculorum morbis, ossium fractu-

ris luxationibusque, et acologia Cel. Jüngken, de medicina forensi Ill. Knape, de medicina forensi et politice medica Cel. Wagner, de arte obstetricia theoretica Gener. a Siebold, de arte obstetricia theoretica et practica Cel. Kluge disserentes audivi.

Institutiones clinicas Perill. Hufeland, Ill. Berends et Ill. Graefe frequentavi.

Tentamine et examine rigoroso absolutis, dissertationem inauguralem conscripsi, eaque defensa fore spero, ut summi in medicina honores benevole mihi deferantur.

---

## THESES DEFENDENDAE.

---

1. *Sensibilis nervorum atmosphaera non exstat.*
  2. *Efflorescentiae cutis acutae febrium exanthematicarum quasi crises sunt.*
  3. *Unicuique medicamini aliud substitui potest.*
  4. *Induratio scirrhosa ab aliis indurationibus non certis notis discrepat.*
-

EXCELENTE ZEYANT

magis non conseruare manum suam  
procedente exinde auctoritate, non  
sunt tamen licet invicem  
etiam in iustitudine, quod invenimus  
non quidem secundum idem de praecepto, sed  
secundum idem de iustitia.